



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

GULBARGENSIS*

IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS GULBARGENSIS

Cum petatum esset nuper ut archidioecesis Hyderabadensis atque dioeceses Bellaryensis et Belgaumensis in India ita dividerentur ut nova constitueretur dioecesis ad aptius provehendam aeternam salutem Christifidelium ibidem degentium eorumque regimini efficacius consulendum, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Petri López Quintana, Archiepiscopi titulo Acropolitani atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. Separamus vicissim ab archidioecesi Hyderabadensi territorium Districtus civilis «Bidar», a dioecesi autem Bellaryensi territorium Districtus civilis «Gulbarga», a dioecesi Belgaumensi territorium Districtus civilis «Bijapur»; ex iisque distractis locis novam condimus dioecesim Gulbargensem, patrio sermone «Gulbarga» nuncupandam, quam metropolitanae Ecclesiae Bangalorensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate «Gulbarga» atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Mariae Matris Divinae Gratiae dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Petrus López Quintana, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quarto mensis Iunii, anno Domini bis millesimo quinto, Pontificatus Nostri primo.

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Emmanuel Fernandez, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVII (2005), n. 7, pp. 803-804

© Copyright 2005 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana